

Vide cardinal. Petram tom. V. Commentar. ad Constit. 10 Sixti IV, n. 13 et 16.

(18. Regulares tempore interdicti possunt celebrare et communicare januis clausis, ex privilegio variorum Summorum Pontificum, et præcipue Clementis IV, constitut. incip. *Virtute*, § 9; Gregorii IX constit., incip. *Virtute*, et Pauli III, const. incip. *Licet debitum*.

(19. Circa tertium interdicti effectum, qui est privatio ecclesiasticæ sepulturæ, notandum est quod in loco sacro interdicto nullus, quantumvis innocens, nec infans, nec amens, potest sepeliri; cap. *Quod in te* 11, de Pœnit., et remiss. (20. Excipiuntur tamen clerici personaliter non interdicti nec interdicto causam dantes, nec illud pro ullo tempore violantes, qui cum silentio et sine solemnitate, absque campanarum pulsatione, possunt in loco sacro interdicto sepeliri: d. cap. *Quod in te* 11, de pœnit. et remiss.; Pirhing in Jus canonic. lib. v, c. 39, n. 251.

(21. Tempore interdicti localis generalis possunt incolæ illius loci qui non sunt personaliter interdicti efferri extra illum locum interdictum, et in alio loco sacro non interdicto sepeliri: cap. *Si sententia* 16, de Sentent. excomm. in 6. (22. Et si quis sepultus fuerit extra locum sacrum tempore interdicti, cessante interdicto, in locum sacrum est transferendus, si id commodo fieri possit: glossa in cap. *A nobis* 2, de Sent. excomm. in 6, verb. *forma*; Pirhing in Jus canonic., lib. v, tit. 39, n. 251. (23. Si vero contingeret, contra prohibitionem juris, aliquem interdictum sepeliri in loco sacro, is non esset extrahendus, quia hoc non reperitur in jure præscriptum. Et licet excommunicati in loco sacro contra prohibitionem sepulti denuo debeant exhumari et e loco sacro ejici: cap. *Sacris* 12, de Sepulturis: hæc tamen tam severa pœna non est extendenda ad alium casum in jure non expressum, cum diversa sit ratio de excommunicatione et interdicto. Excommunicatio enim privat communione fidelium, non autem interdictum: glossa in d. cap. *A nobis*, de Sentent. excomm. in 6, Engel. lib. v, tit. 39, num. 96, cum Anacleto et aliis.

(24. Interdicti tempore, in vim bullæ Cruciatæ, competunt privilegia missas celebrare faciendi, sacramenta sumendi, et ecclesiastica sepultura gaudendi juxta modum præscriptum a Benedicto XIV, tom. I Bull., constitution. 86, incipien. *Quoniam*, § 5. (25. Interdicti tempore conceditur militibus S. Januarii ut missas celebrare facere et sacramenta recipere valeant: idem const. 24 incipien. *Romanæ Ecclesiæ*, § 4.

(26. Interdicti ab ingressu ecclesiæ assistere non possunt missæ et divinis officiis, neque coram illis potest missa celebrari in ecclesia. Spectat vero ad ministros Ecclesiæ illos ejicere; si tamen vis adhibenda sit cum scandalo, vel etiam frustra, tunc ex Suaresio docetur missam jam inceptam non esse omittendam: Bened. XIV, Instit. eccl. 53, n. 11.

(27. Interdicti ab ingressu ecclesiæ, utrum

eam ingredi possint ad orandum tantummodo, quæstio est anceps inter doctores. Ibid. 33.

(28. Interdicti ab ingressu ecclesiæ ob transgressionem præcepti de communione paschali, si contumaces se præbuerint, ab episcopo excommunicatione plecti possunt, ut ex DD. firmatur cit. Instit. Eccles. 53, tit. n. 11.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(29. Tunc cum primum introduci in Ecclesia cœpit interdictum, et multo etiam tempore post, maximus fuit ejus rigor. (30. Sic enim Oldericus Familie B. Martialis monachus, a synodo de contumacia principum militia Lemovicensis sententiam rogatus, inquit: « Nisi de pace acquieverint, ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo ut nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bi matu, et infra in toto Lemovicino sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum portetur. Divinum officium per omnes ecclesias latenter agatur, sed baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesiis omnibus, et omnes proni in faciem preces pro tribulatione et pace fundant. Pœnitentia et viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur, et ornamenta abscondantur, quia signum luctus et tristitiæ omnibus est. Ad missas tamen quas unusquisque sacerdotum, januis ecclesiarum obseratis, fecerit, altaria induantur et iterum post missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat; nemo alteri osculum det; nemo clericorum, aut laicorum, vel habitantium, vel transeuntium in toto Lemovicino carnem comedat, neque alios cibos, quam illos quibus in Quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur, quousque districti principes et capita populorum per omnia sancto concilio obediant. Si quis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia. »

(31. Liqueat hinc quantus eo tempore erat rigor interdicti. (32. Mitigari vero ille aliquantum postmodum cœpit, ut liquet ex collectionibus Gregorii IX et Bonifacii VIII. Innocentius III, qui anno 1200 Ecclesiam rexit, semel in hebdomada prædicare et baptizatos confirmare licitum esse declaravit, in cap. *Responso*, de Sentent. excommunic. (33. Præterea clericis qui interdictum observaverant, in cœmeterio cum silentio sepeliri, in conventualibus ecclesiis, voce remissa, januis clausis, non pulsatis campanis, horas canonicas binos vel trinos recitare concessit: cap. *Quod in te*, de Pœnit. et Remiss. (34. Gregorius IX, sub annum 1230, addidit ut moribundis viaticum ministraretur, semelque in hebdomada missa pari cum silentio celebraretur: c. *Permittimus*, de Sent. excomm. (35. Plura etiam permisit Innocentius IV, qui anno 1243 pontificatum

iniit. (36. Sed omnium maxime interdicti rigorem mitigavit Bonifacius VIII, in cap. *Alma mater*, de Sen. excom. in 6. Probe enim hic animadvertens quod « ex distictione hujusmodi statutorum exerescit indevotio populi, pullulant hæreses, et infinita pene pericula animarum insurgunt, Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur, » (37. permisit ut ad pœnitentiæ sacramentum admitti omnes queant, nisi essent excommunicati vel culpabiles de tali interdicto, vel specialiter interdicti; tum permisit ut officia divina possint, januis clausis, celebrari submissa voce, laicis exclusis, ac sine sonitu campanarum; (38. et demum permisit ut quinques in anno, id est Natali Domini, Paschate, Pentecoste, Assumptione B. Mariæ, et festo Corporis Christi, januis apertis, exclusis excommunicatis, et iis qui causam dederunt interdicto, cæteri ad communionem Eucharisticam, ad oblationem, et ad divina officia admittantur. (39. Hanc vero moderationem de interdicto locali generali, non speciali, accipiendum esse monent post Clouf. ibid. verb. *Ecclesiis*, Covarruv. in relect. ad ipsum cap. *Alma mater*, § 4, num. 1, et § 4, num. 2; Suarez de Censur., disp. 34, sect. 2, n. 1. (40. Quinimo, cum idem Bonifacius VIII, nimium hujus interdicti usum Ecclesiæ damno fuisse experientia comperiisset, hinc est quod multis in casibus prohibuit episcopis fulmen interdicti detorque.

(41. Veniamus nunc ad auctorem. Recte ipse, num. 10, ait prohibitam esse professionem solemnem in religione. (42. At nota prohibitam minime esse benedictionem vestium illorum qui Religionem ingrediuntur: Navar. in Manual. Confessar. c. 22, n. 122; Alter. de Censur., disp. 5, de Interdict. c. 5, fol. 392, col. 1.

(43. Suos hinc inde habet auctores quæstio de qua agit Auctor num. 17, an sub communicatione privilegiorum veniat privilegium illud, quod nonnullis regularibus concedi solet, quasdam proprii ordinis festivitates solemniter tempore interdicti generalis quacunque auctoritate positi celebrandi. (44. Novissime affirmativam opinionem tenuit P. Gaudent. a Janua de Visit. tom. I, cap. 14, dub. 10, sect. 4, num. 6, et plur. sequent. (45. Sed probe monuit clar. mem. cardin. Petra. in Comment. ad Constit. apostol., constit. 10 Sixti IV, num. 16, in *subjecta materia inspiciendam esse formam indulti communicationis, ita ut ex illius verbis deprehendi et censeri valeat an inducta vel exclusa censeri valeat communicatio hujusmodi privilegii.*

#### ARTICULUS. VII.

*Quoad ea quæ concernunt culpam et pœnam interdictum violentium.*

#### SUMMARIUM.

1. Laici violantes interdictum solum locale, licet sine contemptu et scandalo, peccant saltem venialiter. — 2. Violantes vero interdictum personale, sive particulare, sive generale, scienter, peccant mortaliter. — 3. Si autem ipsi laici cogunt

celebrari divina officia in loco interdicto, vel vocem interdictos et excommunicatos ut illis intersint, aut prohibeant ne ipsi interdicti aut excommunicati a celebrante seu ab alio moniti de ecclesia exeant; aut ipsi interdicti post monitionem exire recusent, vel divinis violenter sese ingerant, ultra gravissimam culpam, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem Papæ reservatam. — 4. Clerici et regulares utriusque sexus violentes interdictum, sive personale, sive locale, peccant mortaliter, ad num. 13. — 15. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, variis in casibus possunt subicere interdicto ecclesiarum exemptorum et regularium, et præsertim si interdictum in loco publicatum non observent. — 14. Si accedente episcopo ad eorum et clisias pro celebranda missa pontificali, nolint cum obscuris, juxta præscriptum decretorum apostolicorum et sacre congregationis Rituum, recipere, servire, vel ei baldachinum erigere, et juxta solitum de cera et suppellectilibus providere. — 15. Si baldachinum, vel osculum Evangelii, vel assistentiam presbyterio in eorum ecclesiis dent, et permittant, et concedant per omnes sæcularibus quantumvis nobilibus et illustribus. — 16. Si ab episcopo moniti, sepulturas sub altaribus et bradellis eorum ecclesiarum constructas nolint aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere et replere. — 17. Si ad processiones quibus tenentur intervenire monti recusent accedere. — 18. Si abusus et irreverentias ab eorum ecclesiis, moniis, nolint vel negligant remove. — 19. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, possunt interdicere ab ingressu ecclesiæ, vel suspendere ab exercitio pontificalium abbas et alios usum pontificalium habentes, ac præatos, et superiores regulares, et exemptos, si ecclesiasticam suppellectilem, seu paramenta sacra pro usu aliarum ecclesiarum quam suarum benevolent. — 20. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, possunt procedere per interdictum aliasque censuras contra regulares inobedientes et contumaces in casibus illis in quibus datur eis facultas ipsos coercendi, corrigendi et puniendi. — 21. 30. Additiones ex aliena manu.

(1. Laici violantes interdictum solum locale, audiendo, v. gr. divina officia, licet sine contemptu et scandalo, peccant saltem venialiter. (2. Violantes vero interdictum personale, particulare, sive generale scienter, peccant mortaliter, quia violant præceptum Ecclesiæ in materia gravi, et interdictum personale particulare directe afficit personas interdictas, easque privat participatione divinatorum, sicuti etiam interdictum personale generale afficit directe omnes personas quæ comprehenduntur in communitate interdicta, juxta textum in cap. *Si sententia* 16, de Sent. excommunic. in 6, adeoque illud violantes assistendo divinis peccant mortaliter. (3. Si autem ipsi laici, uti interdum faciunt domini temporales et officiales eorum, cogant celebrari divina officia in loco interdicto, vel vocent interdictos et excommunicatos ut illis intersint, aut prohibeant ne ipsi interdicti aut excommunicati a celebrante, seu ab alio moniti, de ecclesia exeant, aut ipsimet interdicti post monitionem exire recusent, vel divinis violenter sese ingerant, ultra gravissimam culpam, incurrunt ipso facto excommunicationem majorem Papæ reservatam, prout expresse habetur in Clement. 3, de Sent. excomm., cap. *Gravis*.

(4. Clerici et regulares utriusque sexus violantes interdictum peccant mortaliter,

sive sit interdictum personale, sive locale, hoc est, sive ipsi interdicti sint, sive in ecclesia interdicta aliquem actum ordinis exercent, ut missam, aut aliud officium divinum de more celebrent, aut cum scandalo et contemptu sacramenta recipiant et divinis assistant. (5. Et clerici et religiosi, ultra culpam mortalem, incurrunt irregularitatem: c. *Is qui* 18, § fin., et cap. *Is cui* 20, de Sentent. excomm. in 6. (6. Privantur privilegio quod alioquin haberent ut in loco sacro sepeliri possent: cap. *Quod in te* 11, de Pœnit. et remiss., et cap. *Is cui* 20, de Sent. excomm. in 6. (7. Privantur jure passivæ et activæ electionis, ita ut nec eligere valeant: cap. *Is qui* 10, de Sent. excomm. in 6, nec ipsi eligi aut postulari possint: cap. 1, de postulat. Prælator. (8. Incurrunt suspensionem ab officio, beneficio et jurisdictione: cap. *Tanta est* 18, de Excessib. Prælator. (9. Et si scienter interdictos in loco sacro sepelire præsumperint, excommunicationis sententiam incurrunt: Clement. 1, de Sepulturis. (10. Regulares vero tam exempti quam non exempti violantes interdictum generale locale quod ab ecclesia cathedrali, matrice, vel parochiali loci servatur, ultra supra recensitas penas incurrunt etiam excommunicationem; Clement. 1, de Sent. excommunicat. (11. Sicuti etiam eam incurrunt violando cessationem a divinis: ead. Clement., ibidem. (12. Quod procedit non solum de interdicto generali, quod fertur in regnum, vel provinciam, sed etiam de eo cui submittitur villa vel castrum per textum cap. *Cum in partibus* 17, de Verbor. significat.

(13. Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, variis in casibus possunt subjicere interdicto ecclesias exemptorum et regularium, et præsertim: 1. si interdictum in loco publicatum non observent: sac. congreg. Conc. in Indiarum, 17 Decem. 1650, lib. XIX Decr., pag. 96; (14. 2. si accedente episcopo ad eorum ecclesias pro celebranda missa pontificali nolint eum obsequiis, juxta præscriptum decretorum apostolicorum et sacræ congregat. Rituum, recipere, servare, vel ei baldachinum erigere, et juxta solitum de cera et suppellectilibus providere: sacra congregat. Conc. in Venafrana interdicti, 26 Jan. 1697;

(15. 3. Si baldachinum, vel osculum Evangelii, vel assistentiam in presbyterio in eorum ecclesiis dent, permittant et concedant personis sæcularibus, quantumvis nobilibus et illustribus, ut disponunt decreta generalia sac. congreg. Rituum sub die 13 Martii 1688, et sub 22 Apr. 1690, approbata a Sanctissima die 22 ejusdem mensis Apr., et anni 1691. Vide verb. *Ecclesia*, art. 5, num. 29 et 30, ubi referuntur ad litteram dicta decreta; (16. 4. si ab episcopo moniti sepulturas sub altaribus et bradellis eorum ecclesiarum constructas nolint aut differant expurgare, et illas muro obstrui facere et replere: sic pluries decrevit sac. Congr. Episc. et Regul. Vide verb. *Altare*, n. 48 et 49, ubi talia decreta ad litteram referuntur.

(17. 5. Si ad processiones quibus tenentur intervenire, moniti recusent accedere: sic declaravit pluries sac. Congr. Conc. et signanter die 27 Jul. 1627, et in una Mediolanen. 3 Aug. 1658, et in una Neapolitana 27 Febr. 1591, et etiam sac. Congr. Rituum in una Ferrarien., 27 Jul. 1609, in una Aversana 12 Februar. 1641, in una Tarentina 3 Maii 1642, et in una Spoletana 25 Septemb. 1649; quæ omnia decreta ad litteram refert Pignatell. tom. III, consultat. 46, a num. 11 ad 38; (18. 6. si abusus et irreverentias ab eorum Ecclesiis, moniti nolint vel negligant remove, vigore concilii Tridentini in Decret. de observand. et evitand. in celebratione missarum.

(19. Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, possunt abbates et alios usum pontificalium habentes, ac prælatos, et superiores regulares, et exemptos, censura Interdicti ab ingressu ecclesiæ, vel suspensionis ab exercitio pontificalium punire, et coercere, si ecclesiasticam suppellectilem seu paramenta sacra pro usu aliarum ecclesiarum quam suarum benedicant, cum hoc eis expresse vetitum sit a decretis generalibus sac. congregat. Rit. emanatis 27 Septembris 1659, et 20 Jul. 1660, quoad hoc confirmatis et approbatis ab Alexandro VII, die 20 Julii 1660, in quibus datur ordinariis facultas inobedientes et transgressores per censuras compellendi. Vide verb. *Abbas* a num. 30, ubi ipsa decreta ad litteram dantur.

(20. Episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, possunt procedere per interdictum aliasque censuras contra regulares inobedientes et contumaces in casibus illis in quibus datur eis facultas ipsos coercendi, corrigendi et puniendi; sic fere *communis*, et expresse fatetur sapientissimus Petrus Maria Passerinus, inlytæ religionis Prædicatorum alumnus, qui tom. III, de Statu homin., q. 189, art. 10, insp. 10, num. 768, sic præcise dicit: « Sed ubi episcopis datur facultas coercendi, corrigendi et puniendi regulares, datur etiam facultas eos excommunicandi; et sic., v. gr., dum sess. 25, cap. 13, datur episcopis facultas compellendi eos ad processiones, datur etiam facultas eos compellendi per censuras: » et sic passim doctores, arg. constit. 18 Greg. XV, incip. *Inscrutabili*.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Ansam hic nobis præbet auctor, licet loco non suo, disserendi de potestate episcopi in exemptos quoad interdictum aliasque censuras.

(21. Verba haud facimus de interdicto *locali generali*, nam ei subijci ecclesias omnes, quantumvis exemptas, concors est omnium sententia. (22. Quod vero concernit alias species interdicti, imo in universum censuras omnes, distingui debent censuræ a jure latæ ab iis quæ feruntur ab homine. An episcopus declarare possit incursos in censuras a jure latas exemptos, non conveniunt inter se doctores. (23. Affirmant enim Fagnan. in cap. *Non potest*,

num. 12, de Re jud.; Pignatell. tom. IX, consult. 52, num. 7; Card. de Luc. de Regul., disc. 1, num. 29, et discurs. 63, num. 14 et sequent.; Ventriglia in Prax. tom. 1, adnot. 48, § unic., num. 34, ibique Carol. Anton. de Luc. num. 5, alique. (24. Negant vero Bordon. in Consil. Regular., resolut. 6, quæst. 7, num. 10; Hieronymus Garzia in Politic. Regular., tom. I, tract. 8, diss. 3, dub. 2, punct. 2, num. 14; Lezana in Summa, verb. *Exemptio*, num. 9; Escann. in Propugnacul. Relig. discept. 13, cap. 10, per tot., tum alii.

(25. Mediam sententiam alii tenent, nimirum haud posse episcopum declarare, posse vero denunciare exemptos incursos in censuras; Confer card. Petra in Comment. ad Constit. Apostol., constit. 11, Alexandri IV, sect. unic., num. 11. (26. Media hæc sententia in hoc fundatur, quod declaratio est actus judicialis in ipsos exemptos, adeoque ex defectu jurisdictionis episcopo minime competere valeat. Denuntiatio vero est actus extrajudicialis respiciens non nisi indirecte exemptos, directe vero populum episcopo subjectum, et sic episcopo competere potest.

(27. Placet aliis quod si incursio in censuras sit *publica*, sed non *notoria*, possit solummodo episcopus denunciare, non item declarare exemptos incursos in censuras; sin autem sit *judicialis* incursio notoria, possit et declarare ipsos exemptos incursos in censuras. Consule Clement. Concord. Pastoral., par. II, c. 4, n. 42, et plur. sequent., (28. ubi hanc reddit rationem cur possit episcopus in casu incursionis *notoriæ* declarare exemptos incursos in censuras: « Quia, inquit, tunc cessat qualitas illa judicialis considerata in casu præcedenti, quæque non permittitur contra exemptum, cum in casu veri notorii non requiratur vera citatio, nec processus, neque opponi possit aliqua exceptio. » At si in casu notoriæ incursionis judicialiter haud sit procedendum, in nihilo videtur differre denuntiatio a declaratione, ita ut in nomine, non item in re sit differentia.

(29. Quod attinet ad censuras quæ ab homine feruntur, porro in casibus illis in quibus exempti episcopo subjecti non sunt per concilium Tridentinum constitutionesque pontificias, nequit episcopus, ex defectu jurisdictionis, censuras ferre. Ad Clement. Concord. Pastoral., part. II, cap. 4, n. 52 et sequent., ubi: « Aliquis tamen casus, subdit, poterit considerari, in quo, vigente exemptione, et sic præcise a jurisdictione episcopi in ipsas personas exemptorum, possit ecclesia exempta locali subijci interdicto, quod utique eveniet quoties in ea scandalum aut aliquod delictum patrat ab iis qui sunt de populo, etiam sine facto ipsorum exemptorum. Tunc enim talis pœna solum percutit, et dirigitur in punitionem populi audientis divina cujus cura episcopo est commissa, quin per hoc in aliquo vulneretur exemptio, nam interdictum hoc casu non respicit punitionem exemptorum, qui-

FERRAR. IV.

bus licet tunc divina peragere januis clausis ex temperato rigore interdicti, juxta moderationem citati cap. *Alma Mater* et suorum privilegiorum, unde tota pœna videtur inesse respectu populi.»

(30. Questionis autem est an iis in casibus in quibus exempti per Concilium Tridentinum et apostolicas constitutiones subijci episcopo sunt, datum sit ei ferre censuras. Sunt qui tenent posse episcopum censuras ferre, si tunc cum eis subijciuntur, una ipsi potestas fiat censuras ferendi; nequaquam vero si absque potestate hæc illi subijciantur. Vide Escann. in Propugnacul. Relig., discept. 14, cap. 2, num. 12. At posse episcopum censuras ferre, etiamsi exempti sine dicta potestate ipsi subijciantur, auctoritatibus et rationibus, tum contrariis confutatis firmavit Clemen. Concord. Pastoral. part. II, cap. 5, a num. 55 ad plur. sequent.

#### ARTICULUS VIII.

*A quibus et quibus modis tollatur et relaxetur interdictum.*

#### SUMMARIUM.

1. Interdictum latum ad certum tempus, vel sub conditione aliqua, elapso tempore, vel adimpleta conditione, statim per se cessat.—2. Et si sit latum a jure ante elapsum tale tempus et ante adimpletionem talis conditionis, episcopus dispensare non potest, nisi interdictum proveniat ex delicto occulto nondum deducto ad forum contentiosum.—3. Interdictum generale locale, vel personale, a jure communi latum, et non reservatum, potest tolli ab episcopo, aut suspendi ad tempus, vel ab alio habente jurisdictionem quasi episcopalem in communitate interdictum.—4. Non tamen episcopus possit interdictum relaxare, si esset latum a Papa tanquam ab homine.—5. Interdictum locale, sive generale, sive particulare, et interdictum personale generale non possunt tollere seu ab illo absolvere parochi et alii confessarii, etiam privilegiati.—6. Possunt tamen parochi et alii confessarii absolvere ab interdicto personali particulari non reservato.—7. Si interdictum quodcumque per specialem sententiam latum sit ab homine, ordinarie absolvere ab illo potest is solus qui illud tulit, vel eius delegatus, vel successor, aut ejus superior plenam juri dictionem in illum obtinens.—8. Sicuti pariter soli supradicti possunt absolvere ab interdicto lato per sententiam generalem, quando auctor illius in ipsa generali sententia, ejus abolitionem sibi reservavit.—9. Interdictum generale locale non potest relaxari ad cautelam.—10. Quæcumque vero ab interdicta ad cautelam possunt relaxari.—11. Subnectuntur additiones ex aliena manu a n. 41 ad 45.

(1. Interdictum latum ad certum tempus, vel sub conditione aliqua, elapso tempore, vel adimpleta conditione, statim per se cessat. Sic glossa communiter recepta in Clement. 1, verb. *Donec de Decimis*, et Abbas in cap. 1, de Judiciis. (2. Et sic, si sit latum a jure, ante elapsum tale tempus et ante adimpletionem talis conditionis, episcopus dispensare non potest, nisi interdictum proveniat ex delicto occulto, nondum deducto ad forum contentiosum, quia censetur tacite reservatum. Pirhing in Jus Canonic., lib. V, tit. 39, n. 232, et alii.

(3. Interdictum generale, locale, vel per-

sonale, a jure communi latum, et non reservatum, potest tolli ab episcopo, aut suspendi ad tempus, vel ab alio habente jurisdictionem quasi episcopalem in communitatem interdictam; sic colligitur ex cap. *Nuper* 29, de Sent. excomm., ubi expresse dicitur « quod legislator specialiter sibi non reservavit aliis ordinariis iudicibus concessisse videtur. » (4. Non tamen episcopus posset interdictum relaxare, si esset latum a Papa tanquam ab homine, quia censura specialiter lata ab homine non potest auferri nisi ab ipso ferente, vel delegato, aut superiore in ipsum plenam jurisdictionem habente, ex capit. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, de Officio Jud. Ordinar.

(5. Interdictum locale, sive generale, sive particulare, et interdictum personale generale non possunt tollere seu ab illo absolvere parochi et alii confessarii; etiam privilegiati, quia ad relaxandum interdictum locale generale, et particulare, et personale generale, requiritur jurisdictio pro foro externo, qualis non est in parochia nec in aliis confessariis, etiam privilegiatis; qui solum habent jurisdictionem pro foro animæ. Locus autem et communitas non subiacent iudicio interno pro foro animæ, ut se patet. (6. Possunt tamen parochi et alii confessarii absolvere ab interdicto personali particulari a jure lato, et non reservato, ut colligitur ex cap. *Nuper* 29, de Sentent. Excomm.

(7. Si interdictum quodcumque per specialem sententiam latum sit ab homine, v. g., ab episcopo, ordinarie is solus qui illud tulit, vel illius delegatus, vel successor, aut ejus superior plenam jurisdictionem in illum obtinens, potest absolvere: cap. *Pastoralis* 11, § *Præterea*, de Officio Jud. Ordinar.; cap. *Querenti* 26, de Officio Delegat.; cap. *Si Episcopus*, causa 5, qu. 3.

(8. Sicuti pariter soli supradicti possunt absolvere ab interdicto lato per sententiam generalem, quando auctor illius in ipsa generali sententia ejus absolutionem sibi reservavit: arg. cap. *Nuper* 29, de Sent. Excomm. Vide dicta de Absolut. et Excommun.

(9. Interdictum generale locale non potest relaxari ad cautelam: sic habetur expresse

#### INTERLOCUTORIA SENTENTIA.

Vide verb. SENTENTIA a num. 3 ad 17, et verb. APPELLATIO, art. 4.

#### INTERPRETATIO LEGIS.

(1. « Legis interpretationem culmini tantum principali competere nemini venit in dubium, cum promulgandæ quoque legis auctoritatem fortunæ sibi vindicet eminentia: » Novella Justiniani de muliere rapt. pass. 143, et expressum est in l. ult. Cod. de legibus: « Si leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet. » Et paulo post: « Tam conditor quam interpretis legum solus imperator juste existimabitur: » eod. In quem sensum et Innoc. III

in cap. *Præsenti*, 10, de Sentent. Excomm. in 6, his præcisus verbis: « Beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti sententias in civitates, castra, vel quælibet alia loca, seu terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere. »

(10. Quæcumque vero alia interdicta ad cautelam possunt relaxari, sicut excommunicatio, quia excommunicatio et interdictum pari passu procedunt, ut probat ex variis testibus glossa in d. c. *Præsenti*, verb. *Declaramus*; ergo, sicuti excommunicatio potest relaxari ad cautelam, ita pariter interdictum, eo vel maxime, quod non debemus nos facere extensionem ad ullum aliud interdictum, cum textus præcisè loquatur de interdicto locali generali, ut patet aperte in dicto cap. *Præsenti* 10, de Sentent. Excommunic. in 6, supra relat.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(11. Interdictum, ut dictum est in addit. ad artic. 1, fertur vel uti censura, vel uti pœna. (12. Interdictum uti censura, quemadmodum et quælibet alia species censure, non nisi absolutione tollitur. (13. Interdictum vero uti pœna, si elapsum sit tempus, ad quod fuit latum, non tolli, sed cessare dicitur. (14. Ante vero tempus illud dispensatione tollitur: Hurt. de Censur. tract. de Interdict. difficul. 16, n. 46.

(15. A quibus unum et alterum interdictum tolli possit, breviter, sed perspicue, tradit mox laudatus auctor, qui num. 49, tametsi conveniat interdictum generale locale tolli haud posse ad cautelam, « Nihilominus, subdit, quodcumque interdictum adhuc locale generale posse tolli ad tempus ab eo qui potest illud totaliter auferre in foro exteriori, et ab eodem posse quoad aliquem effectum auferri sive ad tempus, sive absque termino, ut quoad aliquam missam, aut quoad aliquem sepeliendum: quin interdictum potest a ferente ipsum quoad suos effectus limitari, tam quoad primam impositionem illius, quam quoad conservationem, quia conjunctio omnium effectuum interdicti non est jure annexa cum ipso, sicut sunt jure connexi omnes effectus excommunicationis cum ipsa. »

voluit Constantinus in l. 1 Cod. eod. in eo quod rescribit: *inter aequitatem jusque interpositam* (alii interponendam) *interpretationem nobis solis et oportet, et licet inspiciere, etc.*; et Valentinianus l. 9 Cod. eod.: *Duritiam legum oportere imperatoria interpretatione emendari*. Siquid ergo proposita controversia definiat juraliter, aliter suadeat æquitas, semper erit servanda lex clara, etsi dura et aspera, et potius cum Ulpiano respondendum: *Hoc perquam durum est, sed lex ita scripta est*. Durum sic, et ab æquitate alienum est, quod nepos post mortem avi neque jure civili ad legitimam avi hæreditatem vocetur, neque jure prætorio ad bonorum possessionem tanquam cognatus: l. *Titius* 6, ff. de suis et legit. hæred.; l. 6, pr. ff. de injust. Rupt. testam.; l. 1, § 8, ff. *Unde cogn.*, § *et licet* 8, Inst. de hæred. quæ ab intest. Durum quidem nepotem hunc ab avi successione excludi a quo non minus descendit, et cujus non minus est sanguis quam qui eo vivente nati et concepti sunt; at cum lex ita scripta sit, juxta illam, non de illa judicare debet iudex, neque esse ipsa lege clementior: nov. 82, cap. 10. Sunt vero qui putant hanc juris dispositionem, seu melius subtilitatem, correctam per nov. 118, c. 1; at, cum super hoc articulo nulla occurrat emendatio in prædicta novella jus vetus et quoad hoc vigere debet.

(4. Nec minus durum illud est, quod qui ad rem alienam servandam impensas fecerit, si remedium jure civili proditum neglexerit de retinenda re, opposita doli mali exceptione, dum res a domino vindicatur: l. *sin autem* 27, § ult.: l. *Sumptus* 48, ff. de rei vindic.; l. *Si quis* 11, eod., etc., nullam impensarum nomine habeat actionem: l. *Si in area* 33, ff. de Cond. indeb.; l. *Paulus* 14, ff. de Except. doli mal.; l. 14, § 1, ff. comm. divid. Hoc contra æquitatem esse neminem fugit; huic tamen iudex acquiescat necesse est, quin aliud excogitare remedium eidem liceat, quo non possidenti subveniatur, ne sub specie æquitatis a mente legislatoris recedat: ad l. *Benignus* 18, ff. de Legib. Vid. nov. 82, c. 10, etc.

(5. Hactenus de juris interpretatione disserere labor irritus videri posset, si ad hominem privatum illa nequam pertineat. Verum non unum dari interpretationum genus manuscripta monuit glossa, et probari potest per l. 1, ff. de Orig. jur.; l. 1, § *qui operas* 6, ff. ad S. C. Tertull., et per alios textus, etc. Et infra habetur ex auctore art. 5, lex *quoad cessationem*, num. 19, et plurib. seqq., etc., quod interpretatio alia sit *authentica*, seu *necessaria*, alia *usualis*, alia *doctrinalis*. Ad principis itaque maiestatem spectat authentica ac necessaria legis interpretatio, deque ea accipiendum quiddam supra annotavimus, ut videre est apud Barth. Salicet. et alios ad l. 1, ff. de Orig. Jur.; Constant. Roger. in tr. de jur. Interpret., p. 3, n. 1, Cæpoll. ad rubr., ff. de Verb. Signific.; Bartol. ad l. *omnes populi* 9, ff. de Just. et Jur.; Felin. in c. *Pastoralis* 8, de Fid. instrum., et in c. *Super*, quæst. 27,

in pr. de off. deleg.; Abb. in c. *Ex parte* 3, ff. de Verb. Signif.

(6. Cæterum si verba legum non sint adeo clara, ut absque ulla interpretatione intelligi queant, neque usque adeo obscura, ut legislatoris mens non dignoscatur, dabitur locus etiam interpretationi privatorum, qui, vel iudices sint vel jurisconsulti, verba legis ad sententiam interpretando accommodant: l. 12 et seq. ff. de Legib., et ex l. ult. Cod. eod. tit.

(7. Lex omnis duabus constat rebus, verbis nimirum, et mente, seu sententia: l. 29 et seqq., ff. de Legib., l. 5. Cod. eod.; l. 6. § 1, ff. de Verb. Signif., et ibi Alciat., Brech., Forner., Cujac., Rebuff., et Gædd.; l. 15, § 2, ff. de Jurisd.; l. 3, Cod. de adult.; l. *Si ancillas* 63, ff. de Legat. 1; Tiraq. ad l. *Si unquam* 9, c. de Rev. donat.; Duaren. de Legib., cap. 8; Angel. Mathæuc., lib. 1, de Jur., cap. 30, num. 14, et lib. II, cap. 1; Donell. lib. I, Comm., cap. 13, quæ ubi inter se conveniant, nulla opus est interpretatione. *Continuus* 137 § *Cum ita re*, in fin.; ff. de Verb. Oblig.; l. 1, § *Si quis* 8, ff. de Dot. Præleg. at ubi inter se discrepare videntur verba et mens, tunc sane ad interpretationem recurrendum est, ita quidem ut mens potius ac voluntas verbis prævaleat: l. *Non dubium* 5, vers. *quod ad omnes etiam legum interpretationes, tam veteres, quam novellas trahi generaliter imperamus, ut legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat; cæteraque quasi expressa ex legis licet voluntate colligere*. Cod. de legib. et Const. Prine. et edict. Ratio namque legis dicitur anima et spiritus, ipsius legis, verba autem dicuntur superficies; merito itaque in cap. *Marcyon* 64, caus. 1, qu. 1; « Non in verbis scripturarum, sed in sensu, Evangelium noscitur esse; nec in superficie, sed in medulla, nec in sermorum foliis, sed in radice rationis. »

(8. Ulterius vero ratio dispositionis clare expressa idem omnino est ac ipsa mens ac voluntas disponentis: fingi enim vix potest quod quis voluerit aliquid diversum vel contrarium rationi quam expresse aperuit: mens namque volens quod rationi a se expressæ non convenit, mens est non sui compos, ostendit enim se non percepisse vim rationis qua sese motam asseruerit. Quod si certa est et clare expressa ratio dispositionis, certa pariter esse necessario debet mens et voluntas disponentis, ex hoc autem sequitur ut dubiorum verborum interpretatio desumi omnino debeat a ratione quæ fuit expressa, adeo ut iisdem affigatur unice sensus, qui expressæ rationi conveniat, in quo quidem nulla irreperere disceptatio potest, quia, posita certa ratione, apparet statim quid cum ea conveniat quidve ei opponatur: cognitio vero quid rationi conveniat, cognita esse necessario debet mens et voluntas disponentis, cum ratio et voluntas unum sint, nec una possit ab altera dissentire.

(9. Indubia hæc rectæ rationis principia pluribus Romanarum legum testimoniis con-